




2 4 202





P



2  
202

PATRUM  
NOVA BIBLIOTHECA  
ANGELO MAIO  
EDITA  
TOMUS VIII.

A R-4002

2  
4  
1 2

PATRUM  
NOVA BIBLIOTHECA

---



NOVAE PATRUM BIBLIOTHECAE

AB

ANGELO CARD. MAIO EDITAE

2  
4  
202

TOMUS OCTAVUS

A IOSEPHO COZZA MONACHO BASILIANO ABSOLUTUS

CONTINENS IN PARTE I.

S. THEODORI STUDITAE

EPISTOLAS ET FRAGMENTA

IN PARTE II.

GEORGII METOCHITAE DIACONI

HISTORIAE DOGMATICAES LIBRUM I ET II

IN PARTE III.

SS. SYMEONUM STYLITARUM

SERMONES

ET S. ISAACI SYRI



ROMAE.

APUD IOSEPHUM SPITHOEVER

M·DCCC·LXXI·

2. 4. 202

Typis S. O. de Propag. Fidei soci. eq. Petri Mariotti admin.  
*Prassidibus aduentibus*

# PIO IX.

## PONTIFICI MAXIMO

**JOSEPH COZZA MONACHUS BASILIANUS**

**A**uspice Te, PATER BEATISSIME, *Novam Patrum Bibliothecam Angelus S. R. E. Cardinalis Maius tanto eum Ecclesiae et litterarum emolumento in lucem edere aggressus est : et auspice , imo iubente Te , hic veluti posthumus eiusdem operis exoptatusque Tomus VIII iure nunc prodeat.*

Nihil certe potest esse honorabilius memoriae tanti viri , quam eius suprema opera inscribi NOMINI TUO: nihil nunc TIBI gratius hoc volumine: nihilque opportunius huic temporis. Siquidem vetusta sunt ac preliosa , quibus rursus per Cardinalem Maium gaudet Ecclesia , documenta et exempla tum de summa Pontificia auctoritate, tum de strenua inter asperrimas persecutiones constantia, deque sanctissimis informandis moribus , quae hae nostra praecipue aetate omnibus profutura auguramus.

Faxit votis nostris Deus; qui cuneta, etsi modo humanis oculis  
tristia videantur, attamen ad communem veramque felicitatem  
disposuit, ut tandem ad maiorem gloriam suam, et bonum Ecclesiae  
cedant. Hie ipsemet liber sit TIBI et DEO testis votorum nostrorum;  
quae iuxta preces fidelium omnium et TUAS certe plenissima con-  
sequemur.

Praeterea dum nobile hoc Maianum opus, iam TUUM, denuo  
Tuo NOMINE dignaris, ne despicias prorsus illud, si quid tamen est,  
quod et nos in eodem absolvendo praestitimus. Hoc etiam enim totum  
TUUM est; nam vere paternam elharatatem TUAM erga nos et Ordinem  
nostrum benignissimis quoque Litteris TUIS cumulasti, quibus ingenii  
nostrri tenuitatem ad huiusmodi studia maxime excitabas, viresque  
addebas et animum.

Quapropter nos humili ac grata mente fidentius a Te,  
PATER BEATISSIME, Apostolicam imploramus Benedictionem, qua  
nobis in obsequium Dei et Ecclesiae caelestem opem obtineas usque  
maiorem.



## PRAEFATIO

1. Septimus ac decimus iam elabitur annus, ex quo v. c. Angelus Maius supremum oblitus diem, et aliquot ex operibus ab eo coeptis longa adhuc urgenter nocte, et ni protinus curentur, edax facile absument aetas. Ex his ea prae caeteris desiderium eruditiorum boninum accendebant scripta pretiosissima, quae iam in fronte *Novae Patrum Bibliothecae* an. 1832 ipsius Maii epistola ad Pium IX. P. M. operis fautorem, utpote edenda, enumerabat. Revera magni sunt pretii tum ea quae nunc prodeunt ab eo quidem parata, sed nondum absoluta, tum etiam quae ad collectionem suam explendam tantum adnotaverat. Ac sane quidem ad litteras et res sacras illustrandas maxime conferunt novae fere tercentum Epistolae S. Theodori Studitae, historicо-dogmatici libri Georgii Metochitae et SS. Symeonum Stylitarum, nec non Isaaci Episcopi Ninives scripta exoptatissima, quae hoc volumen complectitur. Insuper nemo non videt quam opportune nunc prodeant vetustatis testimonias, in quibus vir magnus Theodorus Studita saeculo VIII, et strenuus fidei athleta Georgius Metochita saeculo XIV e Byzantinis oris proclamant apertissime iura summa in Ecclesia Christi Romano Pontifici propria esse et unica, dum hac nostri infelici tempestate nonnulli contra christianam doctrinam nuper in Vaticano Concilio dogmate firmatam insurgant adversarii. Haud sine providentiae consilio hoc factum esse videtur, ut veteres testes veritatis ab ipso Oriente, veluti e sepulchris vocem elevantes suam, crescentes hostes Ecclesiae et novatores adoriantur et ad silentium compellant.

2. Alia multa praetereo, quae ex his nunc vulgatis accendent rei tum christianae tum litterariae emolumenta; et cum modo de iisdem singulatim dicturus sim, specialia quadam, quae ad opus impellunt, licet adiungere. Et sane nescio cur reverentia ergo memoriam Ang. Maii ut ad eaeterna studia, ita et ad hoc opus aggrediendum tantopere incitat. Haud absque praecepua ratione mihi gratulandum est, quod quasi vel inscio me factum sit, ut in curriculo studiorum meorum observantiam hanc non modo publicis possem declarare testimoniosis, sed cum eundem meritis efferre laudibus, cum ab eo accusationes adversariorum propulsare, et quod mihi vel augurari ausus non essem, Pontificis summi mandato cum cl. v. C. Vercellone suscipere ac dein prosequi novam editionem famosi Codicis graeci Vaticanii Sacrorum Bibliorum, quam primus Maius curavit. Praeterea ipsius quoque Caroli Vercellone, quem auctorem magistrum quo meum semper colui, adhortationes ad haec adigebant. Grata recordatione commemoro eum saepè lamentatum esse buiussmodi infelix fatum laborum Maii; et aliquando de istis excitandis operibus consilium initum est. Sed ille morbis curisque oppressus ac morte praeventus desiderium boe suum explore nequivit.

3. Quominus vero Maiana hacc exoptatissima in lucem iam emitterentur, obstante eorundem operum defectus; nam fere omnia imperfecta ipso editor reliquerat. Cui rei remedium certe fuisset, si adcessent adversaria et scedulae eius omnes, quae typis erant parandae; sed cum neque doctis peritisque viris illas reperire datum sit, et post multas inquisitiones et nos quoque bucusque lateah; ideo, ut opus editionis explenda ad effectum perduceretur, alia etsi ardua incedendum erat via: videlicet omnia quae in impressis foliis desiderarentur denuo marte nostro curare, codices, quibus ille usus est, conquirere, investigare, excriri, adnotare, in latinum vertere, et ea denique omnia praestare, quae ad absolvendam huiuscemodi coepitorum Maii editionem conferrent; ita ut ex quibusdam eius imperfectis operibus tomus octavus Novae Partium Bibliothecae, quam ipse instituerat, conderetur.

4. Hie nos non deterruit labor, maior fortasse quam principio videbatur; statimque manus admovimus, ea spe recreati, quod opus utile ecclesiasticis studiis litterisque aggrederemur, nec non quibusdam obsequeremur specialibus stimulis, qui apud nos maxime valere deberent. Ac nuper, cum rem hanc et consilia aperuisse solleti viro Whillelmo Haass, in cuius manus devenerunt omnia opera Maiana impressa una cum locupletissima apotheca librariorum negotiatoris, is operis labores et curas mihi ipsi propositus; qui haud abnui, libens volensque onus suscepit. Et omni ope schedulerum Maii destitutus, statim codices ipsos adii Vaticanos, et quod in impressis deerat, rursum comparandum studui atque exornandum.

5. Qua in re etsi hoc anno 1871 politicae perturbationes Romanae studiis maiores difficultates ingerenter; et Bibliothecae Vaticanae aditus si nobis huc difficilis, tamen haud ita facilis patebat; tamen maiori usi in opere contentione assidueque labore, atque impetrata per cl. v. Pium Martinucci custodom alterum facultate adeundi volumina, in quibus aliqua Maius manu sua adnotarat, secundo tertiove mense ab opere incepto, quae absolvendas editioni erant necessaria comparsavimus.

6. Interea, cum et vir Eminus I. B. Pitra S. R. E. Bibliothecarius successoris sui Angeli Maii memoriam merito illustrandam meditaretur, accidit ut novus operi nostro stimulus adiungeretur. Etenim Pio IX Pontifice in Aedibus Vaticanis aulas Bibliothecae ut solet, perambulante, ubi ventum est ad locum, in quo thesauri Maiani adservantur, de eiusdem absolvendis operibus sermo factus est. Tunc Pontifex consilium valde probans, haud patiens tanti viri de Ecclesia et litteris meritiissimi aliquot opera imperfecta adhuc latere, suos atque impulsor exstitit, ne diutius protraherentur consilia, sed statim longum expleretur desiderium. Tunc vir Eminus me accivit, rem aperuit, mihiique committendum quicquid ad graeca scripta absolvenda requireretur, declaravit. Haud sine admiratione factum est, ut tunc non modo in idem consilia nostra recidere sese proderent; sed et opus ipsum iam esse paratum. Equidem fateor auctoritas Pontificis summi stimulus addidisse currenti; animum sumpsi alacriorem; nibilque praetermittendum censui, ut opus

non modo exoptatum, sed auctoritate maxima mihi veluti impositum, quam primum expleretur.

7. Huius resumptao editionis historis declarata, convenit ut de huius voluminis scriptis aliquid dicatur praeter ea, quae ipse Maius singulis locis pro rei opportunitate adnotaverat. Ad hunc itaque VIII tomum *Novae Patrum Bibliothecae* perficiendum tres accepimus imperfectos fasciculos foliorum typis impressos, quorum alter novas Epistolas S. Theodori Studitae, alter libros quosdam historico-polemicos Georgii Metochitae, tertius vero sermones SS. Symeonum et magnam epistolam S. Isaaci Syri complectebantur. Et sicut alio tomos in partes varias ipse Maius partiiri solet, veluti e re nata volnmen istud in tres partes nohis fuit distribuendum; ita ut priorem locum magnus obtineret Studita, quem alter sequeretur Byzantinus religionis strenuus adsertor Georgius, atque illi asceticae vitae magistri magni et heroes haec sanctissima scripta voluti concluderent. Quicquid adhuc ex his scriptis imprimendum reliquum erat, curavimus e suis fontibus haurire, suis locis notulas et versiones adiungere et omnia denique facere eadem ratione, qua ipse Maius opus suum incohaverat. Ut vero de praedictis operibus, quod opportunum videtur hic animadvertisatur; singillatim aliqua hec adilicere constitutimus, in quibus quae Maius praestit, quaeque a nobis fuerunt adiungenda, tum etiam auctorum et operum et codicium notitias et criticas quasdam animadversiones brevi sermone complectamur.

## PARS 1.

*t. De novis Epistolis S. Theodori Studitae.*

8. Vehementi ferebatur A. Maius desiderio, ut inter plurima ~~missa~~ etiam illius magni Ecclesiae magistri S. Theodori Studitae scripta, quae superessent, in lucem emitteret. Post Sirmondi editionem in cuius operum volumine V. varia studitana sunt evulgata, vix aliquis alius minora de tanti viri operibus in vulgus protraxit; inter quos veluti domesticum editorem non praeterimus Philippum Vitali, qui sacra cantica huius hymnographi saeculo XVIII edenda curavit. Verum enim vero ad aures nostras rumor pervenit monachos Maurinos in Galliis conquisiisse et comparsasse messem non modicam, ut inter insignes suas SS. Patrum editiones nohilem et proprium locum Theodori scripta obtinerent; attamen sive hominum desidia, sive aliis curis, sive, ut potius videtur, perturbationibus politicis, quas saeculo superiore labente Galliae perpessae sunt, accidit, ut ex illorum inceptis fructum nullum colligeretur.

9. Interea multa restabant occulta et quaedam cognita, sed in codicibus tantum servata. Neutra fugerunt diligentiam Maii, qui multa in voluminibus suis edidit, unde praecipue in volumen creverunt Theodori scripta collecta in *Patrologia Parisina* a Petro Migne nuper magno ausu congesta typisque commissa. Sed in his non reperitur pars nohilissima *Epistolarum Studitae*, quarum impressionem Maius non absolvit. Haec notae erant praecipue ex Montfaucon, Fabricio (*Bibl. Gr.*) utpote in codicibus Coislinianis 94 et 259 servatae una cum aliis a Sirmondo editis. Ex

bis codicibus epistolas 282 ineditas ille avidissime exquisivit, obtinuit, latinis litteris reddidit typisque consignavit, de quibus non modo litteraria res publica gaudere debuerat, sed et christians res praecepit, cum multa ad historiam et dogmata sacra illustranda et ad pietatem fovendam haberent. Et revera ut aliquo utar opportunitissimo hac tempestate exemplo, vides praecepit in Ep. 192 et alibi quo pacto supremam ac a Deo acceptam Romani Pontificis in sacris definiendis negotiis auctoritatem antiquus iste veritatis testis confirmet. Tum ex actis Theodori, ubi quinque libros Epistolarum eius collectos fuisse legimus, cum ex notis numeralibus quae Epistolis sunt adscriptae, coniicere possumus ordinem Epistolarum fuisse postea permixtum, et aliquas adhuc desiderari.

*2. De lacunis editionis Sirmondianae expletis.*

10. Defectu codicis olim Columnensis nunc Vaticanii 1432 s nobis explorati, contigit, ut in Epistolis apud Sirmond, pleraque adessent lacunae, ut in codice sunt, ubi paginae saepe visuntur ad excipiendam scripturam unius folii exemplaris codicis purae relictae. Huic defectui et Naius occurere studuit, atque ope codicis Coisliniiani 239 nonnulla fragmenta typis commisit; sed cum veluti fastigium operi imponeret, nescio qua de causa ab opere cessavit, nihilque vel de apographo suo graeco vel de versione inveniendum reliquit.

11. Nos vero cum hanc de Maianis imperfectis scriptis edendis provinciam simus ingressi, partes nostras esse censuimus nihil intentatum ad illorum absolutionem relinquere. Sed haec in re omnino ad Parisienses codices recurrentum erat. Verum obsidio Borussorum, qua Lutetia tunc graviter claudebatur, et postea laerymabile bellum civile, vicesque politicae, quibus princeps Galliarum urbs fuit oppressa et tot damna subito reparanda, id minime concedebant. Tandem exoptata pax affulxit, studiosisque viris facultatem adeundi libros dedit; et cum tomus iste VIII ultimum hoc cimelion, ut in vulgus prodiret, praestolaretur, Parisii studiosi per cl. v. Renier Sorbonici Collegii bibliothecariorum obtinuimus nt cl. v. Wescher alter a Manuscriptis Bibliothecae Gallicae custos fragmenta exoptata e codicibus compararet. Quod tanta diligentia et peritia perfectum est, ut indicationibus, lineis nexibus, variis lectionibus sedulo ex utroque codice servatis et notatis, veluti codices ipsi nostris oculis subiicerentur. Hoc optimo usi apographo coronidem imponimus operi maiano.

PARS II.

*De libris historico-dogmaticis Georgii Metochitae diaconi.*

12. Novis prodeunt testimonia veritatis a Georgio Diacono Metochita teste fidei olim descripta, ex quibus nobilis fit aliis ciudem editis operibus accessio. Vir iste haud ignotus eruditis viris, zelo fiduci, exantlatis laboribus, vulgatisque libris inter graecos saeculo XIV claruit, et sanam doctrinam coniunctionemque catho-

licam Ecclesiae sub unius Romani Pontificis regimine una cum patriarcha suo fortissimo Iohanne Vecco propugnavit. De eiusdem vita et scriptis notitias legimus non modo in libris historicorum aetatis eius ac praesertim apud Nicephorum et Georgium Pachymorem, sed et de illius operibus post Leonem Allatium (*Diatriba De Georgii - De consensu*) alii quoque disseruerunt, uti Fabricius (*Bibl. Gr. t. IX, p. 214.*). Cave (*Hist. Litter. t. II, p. 328*). Inter omnes vero eminent Allatius, qui non modo illius libros recensuit, sed operam suam contulit in iisdem colligendis ac describendis, ut nos oculis nostris certiores facti sumus, dum ipsius Allatii scripturas versare concessum est in *Biblioteca Vallicelliana Urbis*, quae tanti viri litterarii gaudet thesauris. Ex his Allatius quaedam tantum excerpta protulit in operibus suis, cum et alia plura vulganda pararet. Dedit enim in lucem cum interpretatione sua *Refutationem trium capitum a Maximo Planude editorum* nec non aliam *Refutationem Manuelis Cretensis*; quae extant in tomo II *Graeciae Orthodoxae*; et in aliis tomis alia quoque Metochitae inedita scripta se daturum constituerat. Hugo Laemmer, qui novam Graeciae Orthodoxae bibliothecam ex huiuscmodi scriptis instruendam instituit, huius Metochitae nostri tantum librum contra Planudem recudendum sibi propositus (*Script. Graecao orth. bibl. selecta 1864, I, 93*, et *ibid. Schediasma de Allati scriptis XXXI*). Omnia autem horum quae iam sparsim impressa fuerunt, in tomo CXLI *Patrologiae Graecae Parisinae an. 1865* edito a Petro Migne collecta conspiciuntur.

13. Maior vero pars operum Metochitae adhuc iacebat inedita, et veterum scriptorum excitator Angelus Maius ad haec etiam manus protendebat, inspectisque codicibus Vaticanis et collatis apographis in suam Novam Patrum Bibliothecam, quae restabant, Georgii huius scripta curabat inserere; sed cum liber secundus typis committeretur, opus universum eius morte abrumpitur. Tamen ex quibusdam schedulis quas vidimus, appare Maium octo novos Metochitae libros se fore editurum. Hi libri duobus vaticanis codicibus totidemque Allatianis apographis continebantur; sed labor eius ultra codicem Vaticanum graec. 1583 non processit, ex quo libros tres historico-polemicos edendos est aggressus. Codex iste minoris formae folia chartae bombycinae 187 numerat minutis pallidisque litteris descripta, aetate suctori fere suppari, ut ex palaeographia coniici potest; nullum enim adest amanuensis mnemosynon. Ex hoc eodem codice hausimus argumentum ab Iohanno Chamete descriptum, quod pagina 228 typis commisimus.

14. Horum librorum, quos Maius *Historiam dogmaticam* voluit appellare, primus revera agit de vicissitudinibus, quas praecepit Byzantina ecclesia Metochitae aetate perpessa est; ex quo plurimas notitias peculiares habemus, praeter demonstrationem doctrina et zelo plenam de unitate cum Romano Pontifice servanda, quam graecis hominibus vir graecus praebet apprime commendabilem. Liber autem secundus totus apologeticus est adversus tomum, quem Georgius vel Gregorius Cyprus intrusus patriarcha contra catholicos edidit, cui titulus erat *Ἐπεισοδος τῶν τριῶν τοῖς μητέραις κατά τῷ Βίκκῳ...* Cyprus iste prius veri sanctique patriarchae Iohannis Vecci assecia pro veritate catholica laboravit; postea vero ad aliena castra

apostata transgressus , patriarchalem sedem invadit et adversus commilitones iam suos Constantium Melitiniotam et Georgium Metocbitam, ut ipse ibidem ait, et una contra patriarcham pugnat; sed paulo post et schismaticia exosua e throno non suo pulsus in monasterio vitam finivit. Typis commissus est, sed graece tantum (Migne Patrol. Graec. t. CXLII, p. 234) Cyprii buius tomus schismaticus, quem heic singulis capitibus recitatis membratim Georgius noster copiosissime refutat. Huiusmodi opportunitissima apologia valde optandum est, ut latino quoque sermone edatur, et viri rerum dogmaticarum studiosi prae manibus nova habeant documenta, unde facilius et latius eiusdem operis notitia et utilitas possit dimanare.

15. Ut iam innuimus nobis tantum extrema pars libri secundi hic imprimenda fuit, nempe a pagella 201 ad finem. Quia in re si Maiana adversaria nobis praesto essent, baud opus difficile proponeretur; sed bis irrepertis aliud quoque datum accedebat. Praeter codicem vaticananum Maius adhibebat apographon Allatianum, et aliud apographon Raphaelis Vernazza , viri maiori fama digni, qui scripta Allatiana scriptis suis auxit atque illustravit. Cum vero nobis manus operi admoventibus , nullum esset indicium ad huiusmodi apographa investiganda; Maius enim fontes studiorum et thesaurorum suorum celare potius quam vulgare satagebat; necesse omnino fuit ad codicem praefatum confugere, etsi illius lectio valde difficilis propter tenuissimam scriptio[n]is formam, atramenti pallorem, et lucis diebus byenalibus squalorem , nonnullaque alia incommoda adessent; tamen manibus nostris longo labore comparavimus apographon hypothetae tradendum. Postquam omnia haec paraverimus, ex inasperato contigit ut in Biblioteca Vallicelliana apographon horum librorum a Raphaele Vernazza descriptum nobis occurreret. Valde laetari coepimus; sed cum illud ibi desiceret, ubi erat nobis incolandum, ab omni spe huius adiumenti cecidimus. Nonnullus vero post diebus vota nostra expleta sunt, cum praeter spem repertum est apographon ab Allatio confectum in quo predicti tres libri integre perpoliteque descripti continebantur; quo novo instrumento critico in editione nostra uti constituimus. Haec autem voluimus commonere, ut norint cruditi quid binc etiam hoc in opere debeant Allatio , nec non Philippians Bibliotbecae custodibus ac praeципue Generoso Calenzio, a quibus facilis ac benevolis manuscripti libri nobis concessus est usus.

16. Tertius restaret ex his Metochitae liber edendus ab Allatio descriptus et a Maio promissus, quem equidem excrivere coepit typis committere sategisset, nisi praeter voluminis molem et desiderium evulgandi operis usque adeo tenebris oppressi, et ipsa obstaret latina interpretatio , quam Maius mutato consilio, describere cooperat. Is enim, etsi pag. 178 adnotasset so non datnum latinam versionem secundi et tertii libri; tamen cum in hoc tertio libro tantam videret reperiiri notiarum segetem , atque insuper quanto non modo cum emolumento, sed et oblectamento ab eruditis perlegeretur, si ex graeco et difficile stylo Metochitae, latino politoque sermone praebetur; ipse ad elocubrandum interpretationem manus admovit; sed infelici fato, ut saepius diximus, et haec quoque intercepta est, imo nec multum progressa. Itaque cum ad manus nostras

pretiosae istae venissent interpretationis reliquiae, baud omnino negligendae visae sunt; sed cum bas quoque edere constituerimus, necessarium erat ut versio totius prolixii libri absolveretur; quod quidem requirebat maius tum temporis, tum voluminis spatium, quod modo non conceditur. Iccirco si desiderii nostris eruditorum favor et nobis vires non deerunt, speramus fore ut in alio volumine huius Novae Patrum Bibliothecae non modo tertius dogmaticae historiae liber, sed et etiam alia opera Metochitac, ut Maius sibi proposuerat, apparent. Ex hoc autem tertio libro non modo ecclesiastica historia, sed et gesta et scripta ipsius Georgii aliorumque, qui eius fuerunt in laboribus pro fide tuenda socii, magis magisque illustrata conspicientur.

17. Haec quae de Georgio Metochita, ad rem nostram quod attinet, recensenda iudicavimus, oppido produnt quam bene de Ecclesia iste promovererit; quem praeterea scimus et Romam ad Pontificem venisse legatum, honorifice exceptum cum eodem sacra faciente comunicasse; qua de causa et acerbius quoque in eum schismatiei homines saevierunt, ab ecclesiastico gradu exturbare conati sunt, innumerisque vexationibus aerumnis et carceribus ob fidei defensionem subiecerunt. De eo Allatius sermonem suum bis verbis merito concludit (Diatr. De Georgiis XXXII). Quonam vitae fine diem clausurit strenuus iste ac multis nominibus dignus qui semper celebretur athleta, nondum comperi; in carceribus tamen vitam obiisse verisimile est.

## PARS III.

*De sermone Symeonis Mesopotamii.*

18. De oratione Symeonis qui beic Mesopotamiensis appellatur, iam satis (pag. 1 in annotatione) monitum esse videretur; attamen quae ibidem de huius sermonis auctore leguntur, haud omnia certe extra dubitationis aleam posita esse viris eruditis erit persuasum. Etenim ex actis illius Symeonis, qui Styli primus nuncupatur, id minime posset confirmari; quin imo ex stylo orationis is auctor in dubium revocatur; ac etiam illud *Mesopotamii cognomen adiunctum* minime convenit viro apud Antiochiam in oppido Sisam nato, teste Theodoreto, et in illis regionibus versato. Sed quidquid bac de re sit, peritiorum iudicio relinquimus. Graecum textum dedit codex Basilianus XXXVI, nunc Basil.-Vat. 1997.

*De Symeonis II. Stylitae sermonibus.*

19. Iam a pluribus annis, cum vix codices manu versare occuperimus, Symeon iste ad codices studia nostra revocavit. Nam in Ms. membranaceo B. a. V. saeculo circ. XI descripto et in Bibliotheca Cryptoferratensi asservato, duo nanciscebamus Stylitae huius sermones (XI et XII); quos cum inter dividere recensenda esse cognoverimus, statim exscriptiimus, in latinum idioma transtulimus, occasionem vulgandi praestolantes: sed modo Maianis laboribus cognitis, sermones illos iam in hac collectione receptos vidimus; proindeque dum Maiana nunc prodeunt, iure nostra inceant in tenebris.

20. De nobili autem Vaticano codice Gr. 2021, unde hos sermones Maius hausit, nonnulla hic et alias ipse adnotaverat ( pag. 13); imo mnemosynon scriptoris Barptolemaei monachi ad similitudinem in tabula expressit (N. PP. Bibl. t. VII tabula num. 4). Sed qui prius Barptolemaeum illum fuisse celebrem Abbatem IV Cryptoferratensem dixerat, postea ex annorum supputatione sphalna emendavit ( pag. 156); nam S. Barptolomeaus noster Abbas medio saeculo XI vita functus est. Iam et nos manu nostra in voluminibus Maianis, et cl. Theodorus Toscani (Ad typica Graecorum p. 40) haec animadversio curavimus. Codex tamen, et si tantum non habeat scriptorem, nobillimus est, anno 1105 a praedicto monacho exaratus optima arte et membrana, quamquam valde deploranda sit iactura libri, cuius duo priores scapi perire et cum eis sermones priores quatuor, quorum unum tantummodo aliunde Maius habuit. Liber hie olim adservatus fuerat in Bibliotheca Conlegii nostri S. Basilii de Urbe ( Codex Basil. LX ); ubi praetique e Calabris provinciis Petrus Menniti aliquie ordinis Basiliani inoderatores congeserunt pretiosissimas scripturas (Montfacon, Palaeogr.; Piacentini Epit. palaeogr.; Boni ep. etc.). Ad novem autem ex his sermonibus edendis et alius codex praesto fuit ( p. 49 ) nempe Basilius CXXXVIII nunc Basiliano-Vat. 2089 membranaceus optimae notae, cuius actas ex palaeographia circa saec. XI potest definiri. Codex isto acephalus nunc cum aliis eiusdem formae compactus habet tantum sermones quosdam excerptos: inter quos etiam adest ( pag. 89 ) sermo ille *De vita ascetica*, qui nunc prodit in serie quartus, tribus primis deficientibus. Quando Maius hunc sermonem ex editione Clau-seniicepit, eum latuerat in hoc codice servari ( adn. pag. 4 ). Quia in re ut pateat quanti olim habiti fuerint Symeonis sermones, prætereundum non est quod in fronte dieti sermonis adnotatio liturgica habeatur: *ανάγνωστος τῷ εργάστητοι τῷ απολεπτοῦ*. *Hunc lege in Sabbato (hebdomadis) Apocrei;* unde constat has homiliae in ecclesiis legi solere. En itaque ex duabus vetustis codicibus Bibliothecae Basilianae sermones Symeonis Studitiae publico iuri restituti. Basilianae vero Bibliothecae MSS. libri per Pium VI. P. M. in Bibliothecam Vaticanam illati, adhuc Basiliano-vaticani appellantur; et in eo ordine sunt collocati, in quo iam disposuerat monachus eruditissimus I. Chrysostomus Scarfö, qui de iis librum indieem optimum confecerat adhuc in usum Bibliothecac Vaticanane servatum. Ille occasione arrepta adnotare haud negligimus saepe a Maio alisque haud recte Cryptoferratenses appellari Codices Basiliano-vaticanos; siquidem Bibliothecae tum Cryptoferratae tum S. Basilii Urbis omnino distinctae sunt, et ex Cryptensi in Vaticanam nobiles et copiosi codices nonnullis ante saeculis transierunt.

21. Sed ad Symeonem redeamus; de quo cum aliqua adnotanda esse vide-rentur, nos et sententiam rogavimus collegam nostrum in Monasterio p. Antonium Rocchi, qui in studiis hagiographicis orientalibus sollerter versatur, quique facil-lem hac in re, ut in aliis studiis nostris, sese exhibuit; rogatuque nostro scite eru-diteque scripsit *animadversiones*, quas nos hec adiungere laetamur, dum una cum doctis viris eidem gratias debitas et agimus et habemus.

*De authenticis sermonibus S. Symeonis Stylitae in Monte Admirabili  
Animadversiones Antonii Rocchi Mon. Basiliani*

« Cum paucos ante menses p. Iosephus Cozza synasceta sodalisque meus  
 » Novae Bibliothecae Patrum » Maianae VIII volumen compingere statuisset, in  
 eoque sermones S. Symeonis Iunioris Stylitae essent comprehendendi, sedulo  
 ex me quæsivit, utrum ad illorum ~~adversariorum~~ firmam magis ratamque faciendam  
 aliquid ex actis beati viri, in promptu esset mihi, qui in illis tum forte versabar,  
 vel quacumque probatio aliqua hauriri posset. Ad quam investigationem diligenter  
 tissimus Editor movebatur, non quis esset aliquis, qui illos vere Symeonis esse  
 negaret; sed quod ipse non magnopera acquiescere solet quibusdam vetustorum  
 operum inscriptionibus pro luctu librariorum magis, quam pro eruditorum boni-  
 num sententia appositis: atquo id eo magis, quod sibi in hac ipsa scriptorum collec-  
 tionem non semel in buiusmodi epigraphas (uti in monitis diluendum erit) offendere  
 contigisset. Itaque eadem ego ipsa causa permotus in munus, quantum in me esset,  
 incubui, atque ad inquisitionem sedulo agendam animum applicui. Sed mox venit  
 in mentem de his sermonibus mentionem quamdam fieri in vita S. P. N. Nili Iu-  
 nioris ab eius contubernali discipulo (D. Bartolomeo videlicet) græce scripto,  
 posteaque, uti norunt literati homines, latinitati donata a Matthæo Cariophylo Arch.  
 Iconensi. Quamobrem hac nixus auctoritate, quod olim sermones b. Symeonis exti-  
 sent, omnem in illud contuli diligentiam, nempe ut viderem, an omnes hi mihi  
 præ manibus sermones, nedum unus qui in actis illis aperte indicabatur, opus Symeo-  
 nis vere essent dicendi. Quia in re nulli pepercit labore atque industria, tum ut  
 compararetur rerum copia, cum ut dispositione aliqua donaretur. Itaque buic stu-  
 dents ordini demonstrationem triplici argumentationis genere ducendam esse cen-  
 sui, scilicet primo pro universis ab auctoritate extrinseca ex vita S. Nili comparata  
 testimonis aliorumque Patrum: secundo ab mutua collatione sermonum cum  
 Actis eiusdem Symeonis suscepta: postremo ab intrinseca inter se eorumdem com-  
 paratione sermonum instituta.

» Primum igitur sermonibus S. Symeonis fidem faciendam esse arbitror ex  
 auctoritate praedicta actorum S. Nili Abbatis. Iam vero in his actis (Edit.  
 Rom. 1624. p. 82, 83) narratur quod, cum die quadam metropolita Calabriae et Leo  
 quidam Domesticus sulæ imperialis cum aliis b. Patrem inviserent, ipse con-  
 tinuo, vanam aestimationem devitans, quin honores laudesque admitteret, aperto  
 libro, quem præ manibus babebat, inciderit forte in narrationem de iis, quæ  
 revelata fuerant b. Symoni cognomento Montis Admirabilis. Quae cum revelationes  
 perlegerentur, ventum est ad quandam sententiam, quæ ita se babebat « *De decies*  
 » *mille viz unam reperiri animam his temporibus, quæ in manus SS. Angelorum*  
 » *de corpore exiret.* » Porro ista sententia iisdem fere verbis profertur in XXII bo-  
 rum sermonum (num. 2. p. 112.) quam Maius noster interpretatur. « *Ex decem*  
 » *millibus viz unam reperiri animam per illa tempora, quæ in SS. Angelorum ma-*  
*nibus egredetur.* »

» Nunc ad recitata verba in narrationem de iis, quae beato Symonei revelata fuerant si mentem, lector adiicias, istis non modo prohari de praedicto XXII. sermone, sed etiam de eorum collectione universa videbis. Etenim revera non illa certe epigraphe sermo iste XXII inscribitur, cui titulus inest: *De exitu animarum ex corpore etc.*, sed potius per illam inscriptionem notari dices vel sermonem XXX, vcl si mavis XXVI, quorum epigraphae minime differunt a sententia praedictae inscriptionis. Ex quo praeterea conicies, iam tum a saeculo X, quo floruit b. Nilus, eos innotuisse sermones, qui simul excepti meruerunt liber possimus appellari.

» At vero, quod a saeculo octavo hi sermones iam inde extiterint, testimonium habemus S. Ioannis Damasceni, qui in Oratione III., quam scripsit « *De cultu SS. Imaginum* » inseruit partem excerptam e sermone VIII quae incipit *λέει δὲ τὸν ἀστεῖον* desinit vero *καὶ διψήσεις αὐτῶν*, et in hac nostra editione sub numero undecimo continetur. Porro hunc locum inscripsit S. Doctor his verbis « *Magni Symonis a Monte Admirabili De Imaginibus* : quae vox, cum per haec secula sermones isti omnino laterent, eruditos homines in opinionem adduxit fragmentum illud partem esse cuiuspiam literae b. Viri ad Iustinum Imperatorem.

» Sed tandem, quantum mihi compere licuit, Nicephorus monachus Athonita (Migne Bibl. Patrum Graecor. t. 147 col. 945.) qui paulo ante *ccccxi* annum floruit, in libro, quem composit *ταπί νήσου καὶ φωλακῆς καρδίας* scilicet « de munitione et custodia cordis » quoddam assert testimonium « *Συμέων τοῦ Θεολόγου* » quem titulum Possinus interpretatur « *Symeonis junioris Theologi* ». Illic autem locus, ut qui asceticus sit, neque omnino reperiatur inter hos sermones, nendum in vita S. Patris, videtur mihi habendus esse fragmentum transumptum ex quoquam trium sermonum, qui desunt in codice Vaticano.

» Sed ad alterum demonstrationis genus veniamus, quo invicem hos ipsos cum actis eiusdem S. Symonis conferendo profecto sane conspicietur nonnullos illius esse sermones, ut qui cum iis in eius vita narratis rebus maxime cohærent atque concordent. In sermone igitur IX qui inscribitur « *Doctrinalis ad monachos* » ac re vera versatur circa phantasias a daemonie illis injectas, (numero sexto) formae imaginesque peccandi repræsentantur plurimae, quibus ille nequam affligere ascetas conatur, virtutemque labefactare. Quae porro, ista pene cuncta tentaminum diabolorum repræsentatio summam babet similitudinem iis, quae per visum eidem Symoni offerri solita in eius vita narrantur (Cap. III. 9. 10). Eo vero magis quod cum in praedicto sermone (num. 7) sanctus quidam de coelo advenisse refertur, qui illum agone eruptum corroboraret, in isto autem hunc virum sanctum « *Patris triarcharum quempiam fuisse* » in aperte dicitur.

» Quin sic attende: quippe, cum etiam sermo XXI de iisdem temptationibus quin etiam peculiari ratione agat, ad quem caput ipsum actorum IV conformatum esse videatur, illud nimurum consequens est, hunc sermonem non secus atque nonum B. Symoni esse tribuendos.

» Sed pro quibusdam aliis probandis sic eadem comparatione consistens inferre possum. Vitae caput XXII (num. 169) exhibet, olim ad S. Patrem viros quosdam Antiochia adveniace, qui libidinum nullam rationem in extrema iudicio reponscendam esse contenderent; immo neque corpora ad illam diem in vitam esse revocanda, sed per diversos animos perpetuo permutari dicerent, unde corporum animarumque transmutationem assererent, quam graeci *metensomatos* et *metempsychosis* dicunt: ac proinde nullam potius operum inquisitionem, examenque hominum fieri, aut retributionem nullam baberi consequenter inferrent. Erant praeterea ex eo numero, qui arbitrarentur, homines imperio astrorum regi se gubernari; quae proinde continentur essent dispicienda, quoniam simul astrologiam ac superstitionem pro vero Dei cultu et religione adstruerent. Cum igitur isti tot impia atque absurdia contra divinitatem rerumque naturam coram Symone virus incredulitatis suae evomissem; ille continuo cuneta singillatim refellere aggressus est: nisi quod, ut vera doctrina penitus animis inhaereret, perennibus scriptis mandavit. Hinc illud est quod Symeon in serm. VIII « *De superbis et secure peccantibus* » maxime vero in sermone XII « *De secundo Dei Verbi adventu et de iusta retributione* » deliramenta eorum sedulo doctissimeque confutavit, simulque mortuorum resurrectionem adseruit. Quod quidem religionis christiana dogma potissimum adstruit in sermone XXVII, uti ex ipso patet epigrapha: « *Adhortatio ad eos qui resana desperatione sunt, et cum carne vitam suam finiri autemant* » quippe qui propterea corpora resurrectura esse negarent, quod sibi, se post mortem in nihilum redigendos fore suasisserent. Itemque cum b. Pater in sermone XIX veritatem affirmasset totum iudicium extremi, cum singulatim reddenda de rebus turpibus rationis, sermonem XX totum adhibet in novissimo die, terribili iudicio, ne dicam tantum menti, sed quasi ante oculos proponendo.

» Quapropter ex hoc altero testimonio ab actis usurpato quinque omnino sermones Symeoni vindicantur: VIII videlicet, XII et XIX cum XX et XXVII; in quibus nimur tot absurdissimi haereticorum, ethniconque errores in praedicta vitae capite vicesimo secundo narrati refelluntur.

» At singillatim parumper sermonem XXVIII consideremus. In huius tertio numero plura Dei contra impiorum flagella memorantur, quae per id temporis contigisse referuntur ab historica viro Evagrio, Procopio, atque Theophane; quae dicitur fuisse *terraemotus in urbibus ac territoriis, incendia ac ruinae, signa per caelos, populorum rebelliones, sanguinis effusiones aliasque buiscemodi plurima*. At in capitibus VIII et X vitae Symonis haec omnia fusius et graphicè narrantur aetate sanctissimi viri evenisse; sicut et alia plura, quae ipse Symeon est expertus supra montem Tiberinæ regionis, ex quo coactus est in illum montem, qui per eum Mirabilis dictus est, transmigrare remotiorem. Patet ergo ex iis hunc quoque sermonem XXVIII optimo iure illi esse adjudicandum.

» Sed si praedictis probatisque sermonibus caeteros etiam conferamus, facile evinet, ut omnes aut plerique certe quidem elucubrationes b. Viri liquido apparent. Porro si XXVIII paulla superius relata S. Patria stylo est attributus; non sine causa

\*

censerem complectendum esse illi XXIX; quippe cum ambo aliqua habeant de agone ac laudibus Martyrum, maxima inest inter eos similitudo pene verborum, ut non dubites, quin ex una mente, eodemque calamo uterque egressi fuerint. Deinde haud absimiles progenie credideris hunc ipsum XXIX sermonem atque XXVI, qui uterque continent invocationem quamdam b. Virgini et Sanctis iisdem fere verbis enunciatam. Praeterea noune eadem mente atque ratione disseritur de virginitate apud sermonem superius dictum XIX atque XXIV, ut eiusdem ingenii partus esse putas? Nonne sermo X et XI super mortem iusti atque iniqui hominis ita pertractant, ut alter post mortem iniqui absolvatur cum requie iustorum *pretiosa*, alter vero post transitum iusti incohetur per mortem peccatorum *pessimam*, quo manifeste unam significant ex eodem auctore originem? Quid autem dicam, quod sane septem, et quidecum non continuati, sermones eadem glorificatione SS. Trinitati persolvantur? Quid, quod octo quoque humili ac supplici deprecatione pro auctore ipso finem faciant? Quid, quod in cunctis ubique perspiciat eadem scribendi ratio quoad periodorum, figurarum, ac sententiarum usum continenter praeserens fidem certam, spem inconcussum, charitatem flagrantissimam, maxime vero in proximum dilectionem praecipuan? Quibus omnibus si parum attendas, nil erit quod quis dubitet sermonum hanc seriem cunctam illi adjudicandam esse mirabili viro Symeoni, cui olim saeculo X et XI Monasterii Cryptae Ferratae abbates Nilum, et Bartholomaeum, et quod magis refert Ioannem ipsum Damascenum saec. VIII tribuisse comperimus.

» Quae cum ita sint, metam suscepti muneris equidem contigisse videor; sed tamen licet pauca paulisper de huius operis lucubratione considerare. Sane ipse Symeon aperte satis sermones sua manu scrispsisse testatur inquiens (Serm. XXX et postr.) *Haec o patres, scribens nihil novi egi. Manifesto enim vobis etc.* Neque mirandum sit de hoc opere mentionem nullam fieri in actis, quae quidem plures alias elucubrationes omnino silent, quas Allatius quidem aliquie eruditii viri eidem tribuunt; quamquam *traditiones, regulae, constitutiones* in extremo Capite ita in monachorum mentem revocentur, ut quondam literis credita fuisse videantur.

» Sed tamen equidem arbitror epigraphas sermonibus appactas aliena manu fuisse, nempe ut fieri mos est ad haec vetusta opera nullatenus inscripta, stylo eiusquam librarii: atque potiori iure arbitror quod inscriptiones illae nec belle scriptis saepo cohaereant, quandoque vero cedant in laudem eiusdem auctoris, qui certe id nunquam fecisset. Nihilominus tituli illi extant vetustissimi, iam inde saltem a saeculo XI, ut ex codicibus patet; nam de aetate Damasceni nihil ausim adfirmare, qui fragmentum illud non ex ipso sermone, cui superest epigrapha « *De superbis et secure peccantibus* » verum ex re tractanda, « *De Imaginibus* » videlicet nuncupavit.

» Caeterum satis compertum habeo Symeonem adhuc puerum praedictas orationes dixisse, literisque mandasse; ut qui septennis monachum induerit, octennis columnae basim concenterit, post annos autem fere septem columnam quoque ascenderit cubitorum plus minusve quadraginta. Atque a pueritia sermones monachis babuisse certum est ex eius Actis, ut apertissime colligo e capite V. n. 45, in quo post paraenesim quamdam Patribus suis habitam, pueri (≡δε) mox nomine

vocatur. Quod etiam in sermone X innuitur in quo puerulus (*παιδίος*) dicitur, quamquam ad monachos nuper coniecionatus esset. Confirmatur autem in sermone XVII, ubi se non iuveniliter illa dixisse proficitur, sed cum *charitate potius et in spiritu bonitatis*: tum in praedicto aetorum paragrapto sese excusans exhibetur apud Patres, quod in ea aetate senes esset alloquutus. Ex quo recte coniicet illud verisimile admodum esse, praeterquam quod Maio visum fuerat, eum, eum undecimum aetatis annum ageret, quamquam non omnes sermones illos habuisset, tamen concionari primum certe coepisse

» Hic igitur finem dicendi facio, forte diutius quam ab initio pollicitus essem, at non sane frustra, tum quod hoc paeto quaedam necessaria enucleaverim, tum quod quasi imprudens in admirationem b. Viri desideriumque eius sermones perlegendi alios exaltaverim. Quibus profecto sermonibus si quid tandem deesse potest, illud denique est, quod pro maiori communique utilitate notis, commentariisque ab aliquo sapienti eruditoque viro illustrentur.»

### 3. De Epistola S. Isaaci Syri

22. Ad ea, quae Maius iam de hac epistola Isaaci monuit (par. III, p. 136.), et nobis aliqua sunt hec breviter adiungenda; atque imprimis quod huiusmodi epistola, quae potius amplissima ascetica tractatio esset dicenda, merito solet in quibusdam codicibus ἐπιστολὴ μεγάλη Epistola magna appellari; ut nos in Cod. Vaticano Regio 23 et in Codice quodam Vindobon. apud Lambeccium (Bibl. Caesar. tom. IV.) legimus; ubi et insignis locus Isaaci de Baptismate recensetur, quem hic editum habes pag. 187 § 41. Et alii sunt codices qui alia fragmenta insignia quidem sparsim referunt, quae recensere minime expedit, cum universam elucubrationem pree oculia erudit nonne habeant. Hac autem in re illud praecipue esset nobis considerandum, num revera Symeon ille, ad quem data est epistola, sit celeber Stylita seu Cionita Antiochenus Mootis admirabilis, de quo multa babent ecclesiasticae historiae, et paulo ante fuit sermo.

23. Maius noster testimonio confusus bibliographorum Symeonem istam non esse Cionitam ne parum quidem est suspicatus. Qua in opinione et alii viri docti fuere, qui ex hoc praecipue capite aetatem Isaiei, utpote contemporalis huius Symeonis Cionitae, certo certius definitam tradiderunt. Quinimo Assemannus rerum Syriaeorum peritus non praeterit dubium illud, quod ex quibusdam codicibus oriebatur, ubi Symeon iste non quidem Cionita, sed Caesariensis appellatur. Haec iste habet (Bibl. Orient. tom. I, p. 460). Extat (Ep.) etiam in codice Vat. Regio Alexandrino 23, p. 147 sub hoc titulo ἐπιστολὴ μεγάλη πρὸς τὸν ἀββᾶν Συμεὼν τὸν ἄγιον Καστριαῖς: Epistola magna ad abbatem Symeonem Caesareensem — Sed haud dubium quin τὸν ἄγιον Καστριαῖς πρὸς τῷ θαυμαστῷ ἤρι obrepit; ut habent emendatores codices. — Qua in re confer et Fabricium Bibl. Graec. in editione Harlesii, nec non Cave Hist. litterar. ubi de Isaaco loquuntur.

24. Sed tantorum hominum pace dicam mibi magis arridere sententiam illam, quae negat omnino hanc Isaaci magnam Epistolam datam fuisse Symeoni illi Styliitae. Atque in primis praetereundum non est, quod inter multa, quae Symeoni isti tribuuntur scripta etiam desperita, neque vidimus innui epistolam hanc Symeonis ad Isaacum, cui iste amplissima elucubratione respondit. Praeterea nomini Symeonis istius haud levis saltem ignorantiae nota inureretur, si quis crederet isti viro perfectionis asceticae et mysticae peritissimo, imo et magistro atque exemplari, tot illos errores tribui posso, quos merito in response sua carpit Isaeus. Vix hanc epistolam typi stradendam perlegit conlega noster p. A. Roechi, cuius superius scripta leguntur, asserere non dubitavit, haud omnino esse credibile hanc epistolam Symeoni isti datum fuisse; cum ex illius scriptis et actis sincerrissimis aperte patet sententias illas, quae scriptori epistola ad Isaacum tribuuntur, minime posse tribui illi Styliitae.

25. Huic capitali animadversioni accedit codicum quoque auctoritas. Nonnulli sunt, quos scimus, Symonis tantum nomen praeserentes; qui etsi minori subsidio sint sententiae nostrae, tamen nil adversae prodesse possunt; ita Cod. Barberinus V, 5 fol. 183 ἵντερον τῷ ἀρχῇ Συμέων et fol. 190 τῷ ὑπέρτιμῳ τῷ ἵντερον τῷ ἀρχῇ Συμέων. Ita et codex Taurinensis 351 ut legimus apud Pasini (Codd. Gr. p. 480) habet. Ad adversam labefactandam sententiam valent non modo, qui incertum hunc Symeonem tradunt; sed eam prorsus propulsant codices, qui hume Symeonem asserunt esse abbatem Caesareensem, uti iam vidimus in Codice Vaticano Reginae 23; atque etiam legimus in codice Vallicellano C. 72, fol. 108. ἵντερον τῷ τῷ Συμέων τῷ ἀρχῇ Καυστραῖς Epistola ad quendam Symconem e Caesarea - et Codex Parisiensis Coislinianus 268 teste Montfauconie (Bibl. Coisl. p. 312) Epistola ad Symonem Abbatem e Caesarea. Hoc idem vidimus in codice greco Neapolitano II, B, 9, ubi est et antiqua ac prolixa de eadem epistola adnotatio; quea tamen parum babet novi, etsi multum prima fronte polliceri videatur; leges hanc editam a Cyrillo (Cod. gr. Bibl. Borbon. Neapoli 1836. t. I. p. 145). In duobus codicibus Vaticanicis nempe 391 quo usus est ad hanc editionem Maius, et Vat. 605 etiam ab Assemanni notato vidimus tantum hunc Symeonem dici θεοφανῆς, non vero Styliiten; quod idem in Cod. Ambrosiano R. 8. sup. chartaceo legi cl. vir Ceriani perbumaniter nobis indicavit. Fortasse tum Maius, tum Assemannus arbitrati sunt hoc vocculo innui celebrimum illum in Monte mirabili Symonem Stylitem. Sed cum prorsus in codicibus sex, quos nos ipsi inspeximus, et in aliis quatuor, quorum a Montfauconio, Lambecio, Pasinio et Ceriani notitiam habemus, buiusmodi nomen Styliitae non apparet, ac insuper nullum apud eruditos videamus innui codicem, ubi Symeon iste appelletur Stylites, baud sine admiratione conspicimus, eruditos nulla fretos codicum vel argumentorum auctoritate asseruisse epistolam Isaaci nostri ad Stylitem potius datum fuisse, quam ad alium Symonem Caesarcensem, uti codices indicant. Ac praecipue nescimus, unde nam Assemannus bauserit, quae dixit in recitatis verbis: emendationes codices habere Stylitac τῷ τῷ Συμέων ἡμι nomen. Attamen thesim de Symone hoc vel Caesareensi vel alio nos demonstrandum non

aggregimus; praesertim cum de hoc nomine nullam habeamus notitiam. Vidimus quidem inter Eucbitas quemdam Symeonem nominari; sed et ad eum hoc pacto scribi ab Isaaco nostro haud quidem credibile opinamur.

26. Originem bucusque incognitam istorum haereticorum Euchitarum hic prodit Isaacus noster, qui circa finem epistolae suas bistorium narrat auctoris huius sectae nomine Malpat, atque eiusdem sectae damnationem per Episcopum iam a primordiis datam nos docet. A sacris scriptoribus et historia ecclesiastica accepimus huius sectae dogmata iam sub Sisinnio patriarcha Constantinopolitano anathematis fuisse subiecta; quod postea in Concilio Ephesino (Act. VII) solemni decreto est confirmatum. Ibidem appellati sunt *Messaliani* seu *Euchitae* vel *Enthusiastae*. Nomen illud *Messaliani* vel *Messaliani* syrum est, et baerescos patriam demonstrat: idem est ac grece εὐχίται videlicet *precatores*. Sed ut rectius syrum nomen nostris reddatur litteris, scribendum esset *Mnsalliani*; undo magis probanda est lectio huius nominis, quae est apud S. Augustinum (De haeres. LVII) *Psallianorum haeresin postremam ponit Epiphanius*, quod nomen ex lingua syra est; græce autem dicuntur εὐχίται ab orando sic appellati. Nonom vero istud græco quoque corruptionem in codicibus sacre patitur, ita ut modo εὐχίται, modo vero εὐχίται, quandoque etiam εὐχείται (apud Balsam. Const. Eccl. p. 1285); quod et nos quoque in huius epistolao ex exemplaribus sumus experti; sed re hic notata mendum amanuensium minime erat repetendum. Apud Theodoretum non modo *Messaliani*, sed et *Enthusiastae* appellantur (Hist. Eccl. I. IV, c. X); qui huius sectae naturam describens cum Isaaco nostro adamussim convenit. Dicit enim ἐν τῷ πράγματι Εὐθεσιασταῖς καλέονται δαιμόνες τοις ἴερεσιν εἰδεῖχθαι, καὶ παιώνες ἀγέων παρεστῶν τῶντεν θεολατρίζοντες. Ex rei ipsius natura appellantur *Enthusiastae*, propterea quod daemonis cuiusdam vim recipiant, quam *Spiritus sancti* praesentiam esse putant. Ilac eadem de causa, ut narrat S. Epiphanius (Haeres. 80) *Sataniani* quoque dicti sunt; de quibus et ipse et S. Iohannes Damascenus aliisque plura habent.

27. Sed ad notitiam detectæ originis Euchitarum haec adnotasse ex instituto nostro haud alienum esse iudicavimus, eruditis viris maiora prosequi ominantes. Si quis vero maiora de hac secta ac præcipue de eorum dogmatibus ac præsertim de operatione daemoniaca nosse desiderat; audeat codicem Bibliothecæ Casanatensis, in quo non sine aliquo oblectamento nos legimus dialogum inter quosdam Thraceum et Timotheum de *Euchitis*. De istorum vero auctore Malpat haec adnotata vidimus in margine Codicis Gracci Vaticani 605, fol. 278 Μαλπάτ γέ τις ἄνθρωπος, ἢ καὶ πρότερος τὸ τῶν προσκυνητῶν, καὶ παρὰ τῶν πλείστων μελίτων ἐκάλειτο σύρος, γέρα τὸ Μαλπάτ ἐρμηνεύεται ἐν καρῷ τοι. Nam quidam Malpat vocabatur, qui princeps *Adoratorum* (scilicet *Euchitarum*) fuit, et nomen a multo melle accepit; sic enim aliquando interpretatur nomen *Malpat*.

28. In hac eadem Isaaci epistola alterius viri narratur historia, sed male quoque in codicibus eius nomen multatur. Vaticani Codices 391, 605 illum appellant *Aσων*, Vaticanus Reg. 23 Ἑπερα τοῦ Ἀσων ἢ τοῦ Ἀσων, Barberinus vero modo Ἀσων, modo vero tantum Ἀσων; unde quis non immerito suspicari posset legendum esse

*Iacobus* "Aene vel aliquod simile cognomentum; nos tamen hic varietate codicem notata, nomen istud *Aene* scribimus. Ex historiis quoque Syrorum aliae essent conquirendae de hoc viro notitiae, nobis enim investigantibus praecipue de *trilezib* ab eo concinnatis, quae sacrae cautiones fortasse sunt versibus, seu numeris ternariis descriptas, nihil inventio datum est.

